Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

arbitratus, quia in eo quem volebat fallere fallebatur. At ille isto in ipso corde traditoris inspecto nesciente, sciente utebatur. Sciens quia omnia dedit ei pater in manus: ergo et ipsum traditorem. Nam si eum in manibus non haberet, non illo utique sicut vellet uteretur. Proinde iam traditor traditus erat ei quem tradere cupiebat; atque ita malum tradendo faciebat, ut de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. Sciebat enim dominus quid faceret pro amicis, qui patienter utebatur inimicis. Ac sic omnia dederat pater in manus ei, et in usu mala, et in effectu bona. Sciens et quia a deo exivit, nec celum cum inde exiret, nec nos deserens cum rediret. Hec ergo sciens, surgit a cena et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, precinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cepit lavare pedes discipulorum, et extergebat linteo quo erat precinctus. Debemus dilectissimi sensum evangeliste diligenter advertere: locuturus quippe de tanta domini humilitate, prius ei celsitudinem voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait: Sciens quia omnia dedit ei pater in manus, et quia a deo exivit et ad deum vadit. Cum ergo illi pater omnia dedisset in manus, ille discipulorum non manus sed pedes lavit. Et cum se sciret a deo exisse et pergere ad deum, non dei domini, sed hominis servi implevit officium. Ad hoc autem pertinet quod et de traditore ipse preloqui voluit, cum iam talis veniat, nec ab illo ignorabatur, ut hoc quoque ad maximum cumulum humilitatis accederet, quod et illius non dedignatus est pedes lavare, cuius manus iam providebat in scelere. Quid autem mirum si surrexit a cena et posuit vestimenta sua, qui cum in forma dei esset, semetipsum exinanivit? Et quid mirum si precinxit se linteo, qui formam servi accipiens habitu est inventus ut homo? Quid mirum si misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit quo immundiciam dilueret peccatorum? Quid mirum si linteo quo erat precinctus pedes quos laverat tersit, qui carne qua erat indutus evangelistarum vestigia confirmavit? Et linteo quidem ut se precingeret posuit vestimenta que habebat; ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit. Crucifigendus sane suis expoliatus est vestimentis, et mortuus involutus est linteis; et tota illa eius passio nostra purgatio est. Passurus ergo exitia premisit obsequia, non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed et illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta est quippe humane humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo et divina sublimitas. Quia enim homo superbus in eternum periret, nisi illum deus humilis inveniret. Venit enim filius hominis querere et salvum facere quod perierat. Perierat autem superbiam deceptoris secutus, humilitatem redemptoris sequatur inventus. Explicit Omelia ii.

Incipit Omelia iii.

De eo quod dicit: Venit ergo ad symonem petrum, et dicit ei